

2551

C O D I C E S

2552

VIII. fol. 178. Aliud ejusdem Thematis Opusculum in illud: *Videte, quomodo caute ambuletis non quasi insipientes &c. ad Eph. V.* Minus scatens piis fabellis, ac antecedens.

IX. fol. 189. Collectio *Sermonum* in Dominicas Anni sumto ab *Adventu* exordio, et in quaedam Festa, quorum aliquibus adscripta sunt nomina obscurorum Virorum *Wenck, Trutzenpach, Wisenburg, M. Sebastiani &c.*

DCLXXIII.

²¹⁷ Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior 239. f. currenti calamo per duas Columnas exaratus, olim, ut in anteriore theca intus notatur, *Johannis Stinglbaymer* Canonici et Plebani in *panbergh*, continet sequentia: I. rubro: *Incipit directorium Magistri Johannis aurbach egregii decretorum doctoris compositum pro sacerdotibus.* Initium Praeloquii: *Ad laudem dei animarum salutem curatorumque simplicium breuem et simplicem directionem infra scripta ex textu iuris canonici doctorum dictis ac alijs prout ministravit altissimus duxi licet ruditer colligenda In duas pro ampliori ea distingwendo partes principales, quia primo agitur de practica modis et instructionibus quibus uti et se habere possit seu debeat confessor in audicione confessionis et penitentis expedicione. Secundo de Sacramentis ecclesie &c.* Opportunum hoc rudioris aevo illo Cleri subsidium typis opportunius reddidit *Güntherus*

Zeiner in urbe *Augustensi* 1469. f. inscripsitque *Summam M. Joannis de Aurbach Vicarii Bambergensis*, quem circa illud tempus in vivis etiamnum degisse putem. Meminere illius *Tritbemius* n. 727. et alii, nomine subinde in *Ausbach* corrupto, neque Titulus de *Ecclesiae Sacramentis*, quem statuunt, opusculum exhaurit.

II. fol. 49. rubro: *Tractatus de superstitionibus.* Initium: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus &c. Ps. 37. Constat fidem veram caritate informatam lumen existere animarum &c.* More scholastico proceditur in tractandis quaestionibus, quarum prima est: *Utrum dyabolus illudendo possit immittere in animam hominis bonum uel malum. Et si bonum, utrum homo licite possit uti ministerio ejus.* Sequuntur aliae de *Sortilegiis, Auguriis &c.* ubi multae illius aevi superstitiones notantur, quas utinam nostro, quod *Philosophicum* crepant, non repeterent fatui quidam *Μυσηγοφίλοι!* Extrema sunt: *presumpcione diuine voluntatis.* Autorem ignoro, nisi is sit *Jacobus Junterbockius*, quem de *Superstitionibus* L. I. scripsisse in *Theod. Petreji Biblioth. Carthus.* p. 152. invenio.

III. fol. 85. rubro: *Incipiunt decem precepta dinckelspuchel.* Sed fallit Miniator; sunt enim duo *Tractatus Nicolai de Dunkelspubl* Theologi *Viennensis* anno 1433. vita functi. Primus quidem de *Dilectione Dei et Proximi*, alter de *Praeceptis Decalogi*, qui nobis fol. 140. auspiciatur. Uterque extat

2553

C A S U I S T I C I

2554

tat in edit. *Argentini*. 1516. f. a pag. 1. hoc tamen discrimine, quod priori tractatui ad finem Sermo integer in editis desit, qui nobis incipit: *Sicut quilibet homo compos rationis inimico suo tenetur &c.* et 18. columnas integras occupat; dein, quod in editis Secundo Tractatui post C. I. insertus sit *Sermo in festo Jacobi Apostoli*, quem *Codex* noster nescit. Initium prioris Tractatus est: *Scribitur Mat. 22^o. quod cum quidam legis doctor &c.* Alterius: *Preter precepta legis nature &c.* Ad calcem: *Et sic est finis decem preceptorum exijmij doctoris olim Magistri Nicolai de Dinckelspühell.*

IV. fol. 196. *Epistola transmissa per Cardinalem grecum ad curiam Romanam qui interfuit deuastacioni Constantinopolitane ciuitatis.* Initium: *Ysidorus miseratione diuina Sacrosancte Romane Ecclesie Episcopus Sabinen. Cardinalis Rutenus vulgariter nuncupatus Vniuersis et singulis Christi fidelibus has nostras litteras inspectionis Salutem in domino nostro ihesu christo. Audite hec omnes gentes, auribus percipite omnes &c.* Descripto dein lamentabili urbis excidio, e quo se, *ut Ionam ab utero ceti*, ereptum ait, subdit: *Datum Crete in domibus nostre residence Anno a natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio Die octaua Iulij Pontificatus Sanctissimi Domini Nicolai diuina prouidentia pape quinti Anno septimo. Erat Isidorus hic Thessalonicensis Monachus S. Basilii, Abbas S. Demetrii Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

Cplitani, Metropolitani *Kiouiensis*, Cardinalis Presb. SS. *Marcellini et Petri*, et ad reconciliandos Pontifici Graecos *Byzantium* Legatus, obiitque redux Episcopus Card. *Sabin.* 1463. ut est apud *Ciaconium, Ughellum &c.* Partem praesentis Epistolae jam *Antoninus Florent.* Chronici sui P. III. Tit. 22. c. 13. §. 14. inseruit, quam *Odor. Raynaldus* excerpfit in *Annalib. eccl.* T. IX. p. 613. Mutilam etiam exhibet *Nic. Reusnerus* L. IV. *Epist. Turcic.* p. 104. Integra e praesenti *Codice* edi posset.

V. fol. 197. p. 2. *Sequitur epistola transmissa a magno Theodoro (Turca) sanctissimo in christo patri et domino domino Nicolao pape quinto.* Exemplar ipsum germanice versum est et incipit: *Memnem pey moybassanus heben yessen mitt allen seinen bruedern tereben Inslaych, Chayser der welt beschirmer der turken tartaren mörn vnd des ganczen orientes tal (hail?) dem grossen Romischen briester &c.* Incipit inepti hominis figmentum, quo Magnus Turca Papae benevolentiam captat, seque a Trojanis *Antenore, Aenea et Priamo* descendere ait, subscribitur: *Anno Machmeti M^o CC^o 35^{to} anhebung der zahlung der chaldeyschen.* Latine et quidem ad Pium II. directum editum est *Romae* cum hujus praevia epistola f. a. bis 4. legiturque etiam in *Theod. Bibliandri Alcorano* P. III. p. 99. *Basil.* 1550. f. et *Nic. Reusneri Epist. Turc.* L. V. p. 238. Epistolam ejusmodi confictam fuisse a *Job. Au.*

D

Au.

2555

C O D I C E S

2556

Aurissa tradiderunt aliqui; at vero *Mazzuchellius Script. Ital. Vol. I. P. 2. p. 1280.* ad *Poggium Florent.* transfert. Vide *Indicem nostrum.*

VI. fol. 199. Sermo de Spiritu sancto in illud: *Mittam vobis spiritum veritatis Job. XV.* Incipit: *Reuerendi patres et domini, Spiritus sanctus a patre ac filio ac a se ipso duobus modis mitti siue dari dicitur &c.* Synodalis videtur, et subscriptus est: *In klam anno 55.^{to}*

VII. fol. 201. p. 2. Literae *Calixti III. P. M.* ipsa electionis die *Aprilis octava 1455.* datae ad *Sigismundum de Volkensdorf* Archiep. *Salisb.* quibus significat se Papam ab obitu *Nicolai V.* renunciatum, petitque, ut ad impetrandum sibi a Deo auspiciatum regimen supplicationes per Provinciam habeantur. Initium: *Kalixtus episcopus Seruus seruorum dei Venerabili fratri archiepiscopo Salczburg. Salutem et apostolicam benedictionem. Immensa summi dei bonitas &c.* Inferuit has literas, omisiss, quae de morte *Nicolai* et electione sua *Calixtus* memorat, T. II. *Germ. Sacrae* ad p. 490. *Marc. Hanszizius* nostro e *Codice.* Subscriptae sunt: *Datum Rome apud Sanctum Petrum VI.^{to} idus Aprilis Anno Incarnacionis Dominice M.^o CCCC.^o Lquinto.*

VIII. fol. 202. Formula voti et iurijurandi ab eodem *Calixto* nuncupati de Oriente a *Turcis* vindicando. Incipit: *Ego papa Calixtus tercius promitto et voueo*

Sanctissime trinitati &c. Finit: Quod si oblitus fuero tui ierusalem obliuioni detur dextera mea — Si me deus adiuuet et hec sancta ewangelia. Subscripta: *Collacionata per me Georgium Czingesser Clericum Aquilegien. Dioc. publicum Imperiali auctoritate Notarium. Legitur L. XI. Hist. Hussit. Job. Cochlaei. De alio Calixti voto ante Pontificatum concepto brevior ad Ciaconium in vita. Nostri jam meminit Antoninus in Chron. P. III. Tit. 22. c. 14.*

IX. fol. 202. p. 2. Publicatio *Literarum*, quas supradictus *Archiepiscopus* cum a Cardinalibus *Electo*ribus, tum a *Calixto* electo acceperat, mandato illius facta per *Erhardum Karmnecz Decretorum Doctorem Plebanum in Gredwein ac Archidiaconum Marchie Stirie Inferioris.* Data *In Gredwein Die Mercurij Mens. iunij XXV. Anno Domini M.^o CCCC. Lquinto.* Literas *Sigismundi* huic publicationi insertas *Salczpurge die quinta Mens. Iunij Anno &c. Lquinto* habes apud *Hanszizium* *suprac. p. 491.*

X. fol. 203. Publicatio Bullae *Calixti* datae *Romae XII. Kal. Iulij Anno Domini &c. LVI.^o* ex mandato *Sigismundi* Archiep. subscripto: *salczb. die quinta mensis octobris facta per eundem Erhardum karmnecz in gredbein decima sept. nouembris ejusd. anni.* Subjiciuntur *Excerpta* ex ipsa *Bulla*, cujus nec *Bullarium Rom.* nec *Ciaconius*, neque *Hanszizius* meminit, quaeque rationem publica-
rum

2557

C A S U I S T I C I.

2558

rum comprecationum ad opem diuinam contra *Turcas* impetrandam praescribit.

XI. fol. 205. Statuta *Guidonis* ex Abbate Generali Ord. *Cisterc.* Cardinalis *S. Laurentii in Lucina*, viri multis legationibus functi et anno 1272. demortui condita in Synodo *Vindobonensi* anno 1267. hac inscriptione miniata: *Institutiones Domini Gwidonis Cardinalis et cetera.* Incipiunt: *Frater gvido dei gratia Tytuli sancti laurencij in lucina presbiter Cardinalis ad perpetuam rei memoriam. Postquam deus formavit hominem ad ymaginem et similitudinem suam et in etate virili &c.* Edidit haec Statuta praemissa, ut solet, erudita disquisitione *Lambecius* ó πων post *Lazium*, *Henr. Canisium*, et *Binium* L. II. *Comment.* c. 3. p. 61. atque inde evulsa *Kollarus* T. I. *Analect.* p. 1. repraesentavit. *Job. Harduinus* *Concc.* T. VII. p. 579. *Nic. Coletius* T. XIV. p. 360. et *Harzbemius* T. III. p. 632. ea *Lambecio* debent, qui e gemino Cod. membraneo *Bibl. Augustae*, de quibus suo loco dicemus, eruerat, chartaceo nostro non indicato, cujus hic est terminus: *Acta sunt hec Wienne Anno domini M^o CC^o LXXVII^o. mense maij pontificatus clementis pape quarti anno III^o.*

XII. fol. 207. p. 2. *Hec sunt statuta Domini fridrici Archiepiscopi Salczburgen. edita Anno domini M^o. CC^o. LXXIV^o. mense nouembri.* Initium: *Ad bonorem et gloriam sponse christi et fidei christi*

stiane Nos dei gratia Fridericus Sancte Salczburgen. ecclesie Archiepiscopus apostolice sedis legatus M^o. (Leo) P. (Petrus) D. (Bruno) Yo. (Bernhardus) Jo. Ratisp. Patauien. Briczon. (Brixin.) Secouien. et Chyemen. Ecclesiarum episcopi &c. Leguntur haec Statuta in *Collect. Labb.* edit. *Parif.* T. XI. P. 1. p. 998. *Venet.* T. XIV. p. 545. *Harduini* T. VII. p. 721. *Harzbemii* T. III. p. 639. Quantum in his a praesenti Cod. differant, jam expedivit *Hanszsius* *Germ. sacrae* T. II. p. 378. qui tamen Codicem non *Jur. Can.* sed *Theologicum* dicere debebat, et subscriptionem miniatam sic repraesentare: *Finis constitutionis concilij prouincialis Salczburgen. celebrati Anno domini M^o CCC^o (lege CC^o) LXXIII^o. Iudicis II^o (1. Indict. II^o) kl. nouembris.* Vides *Librarium* nostrum saepius dormitasse.

XIII. fol. 210. p. 2. rubro: *Hec sunt instituta venerabilis domini fridrici Archiepiscopi Salczburgen. ecclesie apostolice. se. le. Instituta in prouinciali concilio Salczburgen. A^o domini M^o CC^o LXXXI^o.* Occasionem hujus Concilii et *Summaria* XVIII. ejus *Decretorum* enarrat *Hanszsius* p. 390. Codicis tamen nostri non meminit. Incipit hic: *Cum instantia nostra cottidiana esse debeat sollicitudo ecclesiarum nobis commissarum Ideo ad laudem et gloriam domini nostri Ihesu christi qui est omnium bonorum firmamentum Nos fridricus dei gratia Sancte Salczburgen. archiepiscopus A. se. le.* Sequun.

2559

C O D I C E S

2560

Sequuntur Nomina Coepiscoporum, quae apud *Labb.* T. XI. P. I. p. 1151. in edit. *Venet.* T. XIV. p. 729. *Harduin.* T. VII. p. 855. *Harzbem.* T. III. p. 653. liquido corrupta ex *Cod.* nostro utcunque restitui possunt. Sunt vero: *Fridericus*, *Heinricus*, *Buchardus* (l. Wichardus) *Bruno*, *Chremen* (l. Conradus) *Bernhardus*, *Gerhardus*, quibus aequae respondent septem Ecclesiae, videlicet: *Frisingen.* *Ratisb.* *Patau.* *Brizon.* (Brixin.) *Chyem.* *Secouien.* *Lanaturen.* (l. Lavantinen.) Statuto *ult.* sub finem, ubi vulgo legitur *praeuiemus*, rectius noster: *puniemus.*

XIV. fol. 212. p. 2. rubro: *Incipiunt constitutiones domini Johannis tusculani Episcopi.* *Johannes* is est *Buccamatus* Romanus *Honorii* IV. affinis et unicus ab eo creatus ex Archiepiscopo *Montisregalis* in *Sicilia* Cardinalis *Tusculanus.* Missus in Germaniam Legatus Concilium *Herbipoli* praesente *Rudolpho* I. Imp. anno 1287. Dominica *Laetare* celebravit, ut pluribus *Harzbemius* T. III. *Concc. Germ.* p. 724. Quamquam Acta nostra etiam apud *Labb.* T. XI. P. 2. p. 1318. in edit. *Venet.* T. XIV. p. 1079. *Harduin.* T. VII. p. 1131. habeantur. Sunt *Canones* XLII. quorum lectio in *Cod.* nostro non raro ab editis variat. Ita in Prooemio *Marchie*, *Lubonie* pro *Marthiani*, *Livoniae.* C. 3. pena canonica pro poena communionis. C. 4. absolutionem tamen pro absolutionem tum C. 10. *Presbiteris* reci-

pere duas vicarias pro duas communicaturas &c.

XV. fol. 217. p. 2. rubro: *Hec sunt constitutiones domini Conradi* (IV. de Praitenfurt et Vonstorff) *venerabilis archiepiscopi ecclesie Salczburgen.* Tres sunt numero: *De contractibus matrimonialibus.* *De Clericis officialibus.* *De uagis Scholaribus.* Communicatas olim a *Jac. Gretsero Sev. Bino* rursus exhibet *Harduinus* T. VII. col. 1163. et *Harzbemius* T. IV. p. 3. referentes eas ad Concilium, quod de uniendis tribus Equitum in *Palaeftina* Ordinibus celebratum dicunt *Salisburgi* anno 1291. Verum illud sequenti anno adsignandum esse docet *Hansizius* T. II. p. 432. Decretum ultimum in solo *Cod.* nostro *Addicio* vocatur ad statutum *Domini Friderici Archiepiscopi Salczburgen.* Est illud numero *decimum sextum* Synodi celebratae 1274. de qua superius.

XVI. fol. 218. p. 2. rubro: *Concilium domini Conradi celebratum Salczb. Anno domini M^o CCC^o X. in XLma. Moderaciones quorundam statutorum.* Acta hujus Concilii post alios exhibet *Harzbemius* T. IV. p. 166. Eorum Synopsin habes apud *Hansizium* T. II. p. 442. ubi et totum *Capitulum ult.* quod in editis deest, e *Cod.* nostro repraesentatur.

XVII. fol. 219. p. 2. Aliud ejusdem Synodi Exemplum.

XVIII. fol. 220. p. 2. rubro: *Hec sunt Instituta domini Pilgrini* (II. de Puchaim) *Archiepiscopi Salczburgen. ap. se. le. publicata in pro-*

2561

C A S U I S T I C I.

2562

prouinciali concilio Salzburge An. Domini M^o CCC^o LXXXVI^o. Extant post alios Synodographos apud *Harzb.* T. IV. p. 530. et recensentur ex *Cod. nostro* ab *Hansiz. supracit.* p. 462. *Hundius* tamen et *Metzgeri* de hac Synodo filent.

XIX. fol. 223. p. 2. Libellus supplex nomine *Udalrici III. Episcopi Pataviensis* datus Pontifici, ut inhibeat FF. Minoribus de observantia, ne in Oppido *S. Hippolyti* Coenobium aedificent contra voluntatem Praepositi et Conventus Can. Reg. S. *Augustini* in eodem Oppido fiti. Incipit: *Beatissime Pater. Creuit adeo temeritas et insolentia quorundam fratrum minorum de observantia nuncupatorum in partibus Alamanie et presertim in dyocesi patauien, ut ne dum loca dicti ordinis prope parochiales ecclesias de nouo erigere sed totum fere populum ad eorum ecclesias trahere &c.* Subscriptio: *Fiat ut petitur de futuro Et committatur Praeposito S. dorothee Wyennen. Datum Senis XI. Kl. Martij Anno Secundo.* Ejusmodi querelas etiam in reliqua *Austria* et *Stiria* circa annum 1456. exortas inuenio apud *Hansizium cit.* p. 495. Pontificem itaque, ad quem praefens libellus directus fuit, *Callistum III.* putem.

XX. fol. 224. p. 2. *Formulae* Literarum Pragmaticarum in negotiis ecclesiasticis seu confistorialibus, ad Dioecesim *Salisburgensem* adcommodatae. Exempli caussa: *Ab Archiepiscopo ad archidiaconum pro decima papali extorquenda.*

Executio Archidiaconi. Super procuracione imponenda plebanis. Executio commissionis. Modus citandi Monachos mendicantes ex commissione &c. In *Stiria* superiore conceptas fuisse docent locorum nomina: *Judenburg, Leuben. Gessa &c.*

In hoc Codice contenta obiter jam enumeravit *Lambecius L. II.* p. 802. edit. *Kollar. col. 630.* quae, qui *Synodicon Salisburgense* molietur, ob lectionis varietatem non inutiliter consulet.

DCLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 643

XV. Folior. 334. 4. diversis manibus exaratus et olim *Monasterii montis sancti Iohannis baptiste in Rinkau*, five *Rhingovia* quondam O. S. B. continet Sequentia: I. Incipit *Stella clericorum.* Saepius memorata, ut docet *Index*, verum hoc loco *Prologo* instructa, qui quidem inchoat: *Architeſor philosophie (Aristoteles) in libro de celo et mundo describens proprietates celi &c.* in meris tamen Allegoriis infumitur, deque Autore Opusculi nihil docet, nisi *Theologum* fuisse. Opusculum excipit fol. 17. *Commentarius*, cujus initium: *Quasi stella matutina in me. Libellus iste qui intitatur stella clericorum principali sui divisione diuiditur in duas partes &c.* Commentatorem eundem cum Autore *Prologi* habeo.

II. fol. 49. Incipit tractatus magistri *binrici de bassia doctoris eximij studij wyen. fundatoris* qui fuit